



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Vndecimus. De spirituali profectu, duratione, & transitu à contemplationis (vtriusque modi) ad priuationis rigorosae statum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

tum moralium exercitio, ac interna re-
collectione, tibi quoque modo possibi-
li, semper in te collaudetur, & exalte-
tur Deus. Si verò gratia vltiori à Deo
dignata fueris, ascende confidenter ad
cor alto altius; & ea quæ in secunda
parte tractatur, aggredere, vt in te ma-
gis exaltetur Deus. quod ne temerè, sed
vtilius fiat, consequenter dicitur,

*De spiritali profectu, duratione, & tran-
situ à contemplationis (vtriusque mo-
di) ad priuationis rigorosæ
statum.*

ARTICVLVS VNDECIMVS.

VTroque homine, scil. inferiore,
seu incipiente per meditationes,
& aspirationes, superiore verò, seu pro-
ficente per contemplationem affirma-
tium, seu negatiui modi, in mystica exer-
citate perfectio: nihil amplius in spi-
rituali negotio saltem modo operandi
naturaliter, scilicet per discursum, &
conuersionem ad phantasmata super-
est; nisi, vt vel ad priores a status quo-
quo modo se dimittat mysticus, vel ad
vltiorem statum priuationis tran-
seat. hoc enim loco spiritalis profe-
ctus eo vsque excreuit, vt ad modum
supernaturaliter operandi, id est, sine
discursu, & vsu phantasmatum, adapta-
ri, disponique debeat.

Si verò tempus, quo propriè mysti-
cus in statu contemplationis occupa-

tur, accipiamus; vix vltra duos annos,
in ea ab infimis vsque ad superiora as-
cendet, quin realiter aduertat, sibi in
superioribus saltem integrali fruitio-
ne, amplius locum non esse; at indies
multum deficere. illis autem, qui sta-
tum contemplationis non excedunt,
& illius loco tantum suspiria substi-
tuunt, aut quidquid demum ipsos
amplius ad deuotionem, mortifica-
tionem, & virtutem, excitare potest,
non decem, aut viginti anni; sed to-
ta vita concedenda est. Tandem nemo
fit mysticorum (cui animus est ea,
quæ hucusque diximus excedendi)
qui non sat magna diligentia perle-
gat, scrutetur, & si possibile sit, pra-
cticet ea, quæ in sequenti statu priua-
tionis rigorosæ posita sunt: quando-
quidem plurima inuenturus sit, quæ
in inferioribus etiam statibus, &
agendi modis, documenta datura
sunt.

Ad contemplator vel affirmatiui, vel
negatiui modi, securus ad statum pri-
uationis transeat, quando animaduer-
terit, non tantum solita auxilia, modis-
que operandi in optimo contempla-
tionis, non quidem subindè, & in acti-
bus transeuntibus, sed permanenter
deficere; imò etiam se ad inquirendo,
ex millibus dilecto, animum remit-
tere non posse, quin imò fixum, &
statutum habere, per quæuis et-
iam ardua fugientem & se absconden-
tem insequi debere. Eiusmodi enim
propositum indubitatum est signum,
ad vi-

ad vltiora esse transeundum. Sicut è
contra, nimirum quando quis non
tantum ad anteriora procedenda non
extimulatur; sed sibi abundè satisfac-
tum in inferioribus sentit, pro certo
documento teneat, sibi in ijs, quæ huc-

usque dicta sunt remanendum esse, &
præsumptionem olere, altiora se qua-
rere, quid autem hisce postremis vlti-
riùs agendum sit, consequenter dice-
mus.

DE MYSTICIS QUI AD STA- TVS MODI OPERANDI SUPERNATVRA- LITER NON TRANSEVNT.

DECISIO NONA.

EO quod nemo ad status modi operandi supernaturaliter trans-
eat absque speciali Dei gratia, & elationem animi sapiat, si quis
à Deo non vocatus, ad illos temerè velit transire; maximè verò, vt
illi qui fortè ex proprijs culpis, melioribus charismatibus seipso
indignos reddiderunt, probè intelligant, quid circa exercitium o-
rationis mentalis, vtiliter in residuo vitæ suæ præstare possint; ne-
cessaria quædam hoc loco subijcere oportuit, &

- I. Quod contemplator diutino conamine ad status vltiores seipsum promouere stu-
deat.
- II. Quod si Mysticus ad status supernaturales transire nequeat in inferioribus ordine
promiscuo sese perfectiùs semper exercere habeat.
- III. Vt mysticus quoquo modo defectus corrigere, tentationes superare, & virtutes ex-
ercere studeat.

ARTICVLVS PRIMVS.

*Contemplator diutino conamine ad
status vltiores seipsum pro-
mouere studeat.*

POSTEAquam spiritualis profectus a-
mans, omnem quasi internum gu-

stum, auxiliumuè cognouerit cessare,
non illicò fœminea inconstantia, virile
pectus confringat, animumque de-
spondeat, tanquam ad perfectiores sta-
tus non vocatus, desistere habeat ab eo,
quod in primis annis tanto animæ suæ
solatio inceperat. meminere quæso in

M 3

mysti-

a Vt dictum 2. p. Det. 1. 4. 1.